

Videndamque diem, satis remotam
Lauros cum dederit pares Minerva
Mundo et miserit ex scholis supernis
Humano generi levamini atque
Patriae decori. Novas habendas
Refer tunc fore gratulationes
Tantae prolis avis parentibusque
Ac consanguineis. Rata haec habere
Iam nunc vota Deus velit benignus
Det et omnibus ut valeant Magistro
Iunctis sanguine, caritate iunctis
Ipsique simul, magisque multo.

AD CANEM FIDelem

AB AMICO SCHEMBRI DICATA.
EDUARDO COLEIRO

a.d. VI Idus Iulias, MCMLI.

Parvum voveris in globum iacesque
Ad talos domini, o canis fidelis,
Mirarisque quid urgeat diuque
Tot coëgerit adnotare chartas,
Nullo nomine vertice indicatas,
Probandasve tamen vel improbandas.
Frustra ludere tu, libris sepulto
Malles cum domino; gravi at labore
Exhausto, levis ad tuas redibit
Nugas os oculosque iam serenus:
Ridebit tibi gestiens manu et te
Irritabit ut indices latrando
Grati pondus amoris in patronum
Et vitae socium tibi fidelem.
Tum circumsiliens latrabis amens
Et mordere ioco tuis voluptas
Urgebit labiis; sed inquiet tunc
Arridens, satis, oh! satis, petulca;
In rebus modus est, vel in caninis;
Ludos, si sapis, amove molestos
Cauda et pendeat inter ossa crurum.
Nescis fingere, credis ah! loquenti.
Aude, macte animo, iocans patronus
Nunc irascitur: usque diliget te,
Quae multos superas fide fideles.